

1351

CODICES

1352

latorum vindicator existam. Epistolae has inter Innocentium II. et Lotharium II. versari, scriptasque fuisse a. 1136. ejus temporis acta apud Historicos suadent. Accedit alia Epistola sed abrupta, qua Miles quidam J.

Comiti suo G. contra crudelissimi temeritatem Lodoici queritur. In principio namque belli patrem meum interfecit. deinde — —.

IV. fol. 84. p. 2. Poemation Elegiacum rhythmicum de Excidio Trojae, cujus initium:

*Pergama flere uolo facta Danais data solo
Solo capta dolo, capta redacta solo.
Ex elicone sona que prima tenes elicona
Et metra me dona promere posse bona &c.*

Abruptum videtur *Disticho* 43. cujus versus posterior:

Deperit in modico. fit nichil ex aliquo.

Geminum prorsus huic Poemation edidit *Leyserus* in *Hist. Poetar. med. aevi* p. 404.

*Urbs bona nunc dum, vi flammæ, turbine fumi
Non ita consumi digna resedit humi &c.*

Cumque id in *Cod. Lipsiensi* subnexum Versibus *Hildeberty Cenomani*. reperisset, ad hunc fortasse pariter referri posse censuit. Verum in edit. *Paris. Hildeberty*

1708. f. nihil horum comparet. Interim si Poemata haec diversos Autores habent, unum alterius notitiam habuisse arguo e *Leyseriani Disticho*:

*Urbs miseranda nimis, imo dives rebus opimis
Inclyta sublimis, una fit ex minimis;*

Nofter:

*Urbs retro sublimis et abundans rebus opimis
Una fit ex minimis ad nichil acta nimis.*

Ceterum *Hildeberty* iisdem Metri vinculis non semel se illigasse, ex edit. *cit.* liquet. Poemation nostrum integrum vide *Cod. DCXIII.*

CCCXLVI.

Codex membraneus lat. Sec. 8^a XII. Folior. 125. f. per duas columnas nitide scriptus, et rubricis

1353

D O G M A T I C I.

1354

cis distinctus exhibet *Odonis Abbatis Morimundensis* Ord. Cist. Scriptoris Sec. XII. qui anno 1161. ut habes *Galliae Christ. T. IV.* inter *Abbatas Morim.* e vivis excessit, Opus de sacris numerorum Mysteriis, eruditum id quidem, sed subinde sat difficile intellectu. Inscriptio miniata haec est: *Incipiunt Analetica Odonis abbatis. id est resolutoria numerorum et rerum in theographiam.* Partes praecipuae distinguuntur tres, quarum prima de Numeris in genere et de Unitate, secunda de Binario, tertia de Ternario agit. *Pars prima* in *Clausulas*, atque hae rursus in *Subdivisiones* abeunt, quarum singulis *Capitula* praefixa sunt *Argumenta*. Post primam *Capp.* Seriem haec rubrica legitur: *Incipit Prologus in quo materia operis utilitas rei. eminentia numerorum. et future dictionis partes aperiuntur. Capitulum. I. Que sit materia Operis. Velle adiacet michi numerorum et rerum figurationes analeticas (analyticas) reuerenter in omni theologia disquirere ad introductoriam de ipsa cognitionis institutionem. Cuius ad ipsam institutionis scientia quantum eandem illuminet uel etiam amplificet ex ipsis eiusdem theographie perscrutatione comperietur uicinius. C. II. modus agendi traditur: significantias numerorum et rerum curabimus expedire ut nouimus, hoc est secundum enumerationem causam et genus. — Secundum enumerationem euoluemus, si dicemus quot significantias suscipiant singuli numerorum et sin-*

gule rerum de quibus differere conabimur. — Secundum causam euoluemus, si notum faciemus cur eas suscipiant. — Secundum genus, si palam faciemus sub qua significandi maneria (modo, maniere, seu etiam forulo, loculo) haec aut illa significatio cadat &c. C. III. datur distributio totius operis: Actio primae partitionis erit significantias tradere numerorum, rerum alterius. Neutra tamen tradet omnes omnium, nec omnium aliquas, nam forsitan aliquorum omnes. &c. Atque ita Primus Tractatus procedit per III. Clausulas, quarum I. et II. Subdivisiones tres, III. vero Capitula duo habet, quae rursus in Distinctiones secantur. Tractatus hujus ultima verba sunt: uirtutum iniciis deputare possumus et debemus.

Fol. 35. p. 2. incipit Pars II. hoc rubro: Incipit tractatus de sacramentis dualitatis. Continet Distinctiones VII. quarum singulis Elenchus Capp. praemittitur. Initium Operis est: Sequentia suscipiendae Disputationis significantias tradere dualitas exquirat. Finis: Nunc paucis diebus morabor ipse mecum. et computatis sumptibus. qui necessarii sunt ad perficiendum. aggrediar ternarium. et nouis illustrare significationibus. et multiplicibus efferre Mysteriis.

Fol. 89. itaque Pars III. sequitur hoc rubro: Incipit tractatus de analeticis ternarii. IV. haec Distinctiones habet praemisso singulis Capp. Elencho. Orditur vero: Ad quas quarum rerum et cur significantias

1355

C O D I C E S

1356

significationes in Theografia ternarius excipiat &c. Finit: Ego interim secedens ad me ipsum. repertiendis significationibus quaternarii attentius assistam. uacabo placidius. Et rubrica subiecta: Explicite ternarii expositio continens. XX. VIII. figuratiuas significationes.

An reapse Quaternario calamum admoverit Odo, nemo, quod quidem sciam, Scriptorum tradit. Et fat erat eatenus prodixisse. Ad exponendas enim diuinas literas et omnem Morum et Afceseos doctrinam nimium sibi in numerorum vi et virtute mystica praesidii repositum esse ducebat, in qua opinione a Pythagoreis sumpta, et Patres quosdam ante ipsum, et aevo sequiore Franciscum imprimis Georgium Venetum in suo de Mundi Harmonia opere fuisse constat. Tempus, quo praesens Opus elucubratus est, duplici indicioprehenditur; Parte enim I. Clausula 3. Dist. 1. nobis fol. 30. p. 2. haec legas: *Sic est cernere maxime diebus istis. quibus francorum electa iuuentus. et uiuida bello nobilitas procerum. amicta signaculo crucis. crucis inimicos aggreditur expugnare et transmarinam barbariem tollere de loco suo et gente. Rex ipse clarissimus. Ludowicus (VII.) annos animo. uirtute superans etatem. rem fortio rem ausus magni uiri. puer aggreditur. In eandem expeditionem cum manu graui. magnificus quoque rex romanorum (Conradus III.) accingitur. Assistat eis propicia deitas.*

Atqui hoc accidit circa annum MCXLVI. Quomodo uero Odo Ludovicum puerum adpellare possit, viderint Autores de *l'Art de verifier les Dates*, qui illum tunc temporis annum saltem 27. adigisse statuunt. Alterum indicium habetur P. III. Dist. 4. nobis fol. 110. p. 2. ubi legitur *Planctus de obitu celebris memorie Bernardi clareuallensis abbatis*. Bernardus autem anno MCLIII. ad Superos abiit. Incipit Planctus hic: *Subit a pretitulationis serie triadis ad regnum dei aptitudo. At arripit sibi calamum que et animum preripuit rememoratio eius. cuius memoria in memoriam euasit eternam.* Et finit: *Hinc uel maxime solati discessimus a monumento. et abiit unusquisque in sua. carne et spiritu illius in sua receptis.* Joh. Mabillonius certo certius illum in *Append. Opp. S. Bernardi* edidisset, si illius habuisset notitiam. Extat uero in *Bibl. Paulina Lips.* ut *Joach. Felleri Catalogus Mss.* p. 161. testatur. Plura de Odone ejusque Scriptis *Car. de Visch* in *Bibl. O. Cist. edit. Colon. 1656.* p. 253. *Cas. Oudinus de Script. Eccl. T. II. col. 1417.* *J. A. Fabricius Bibl. med. et inf. Lat. edit. Patav. T. V. p. 159.* quos cum recensu nostro, si lubet, confer.

CCCXLVII.

Codex chartaceus lat. Sec. 641 XV. Folior. 340. 4. non una manu perscriptus censet sequentia: I. Expositionem plurium Terminorum